# QVÆSTIO MEDICA,

## QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXX. DECEMBRIS,

## M. MATHVRINO ALTON Doctore Medico, Præſide.

860

*Eſt-ne rara formæ, & animi concordia?*



VATVOR humores, propria corporis humani elementa, in primâ ſtatim generatione miſcentur, vt vel omnes æquis viribus in vnam temperiem conſpirent (quod paucis, aut nemini contigit) vel vnus pluréſue cœteros vincant, ſuíſque motibus regant. Horum in homine conſenſus, & ſoli nota naturæ permixtio, temperamentum efficit, proprium, immutabile, & princeps naturæ organum: pauciores in animantibus, plures in hominibus habet varietates, quæ diuerſa pepererе ingenia, mores, morbos, cùm animi, tum corporis, quorum maior pars matri accepta ferenda eſt. Ecce inter innumeras temperamentorum formas, duas natura potiores habuit, quarum altera venuſtos, altera fortes viros ederet: in hac bilis reliquos humores ſuperat, plurimus in illâ ſanguis eſt, qui coloris ſuauitatem quandam toti afflat corpori, & cum membrorum aptâ compoſitione, ac decoro motu corporis, ſermoníſque lepore fundit illum aureum blandiſſimæ venuſtatis florem, in ſequiori ſexu, cui magis familiaris eſt, à dignitate virili longè diuerſum.

BILIS, atque ſanguis magna ad virtutem, & vitium adiumenta; hic cum redundat, diuinam auram quaſi humi affligit, & propè in pecudum gregem homines cogit: etenim, qui ex eô excuduntur ſpiritus craſſiores, & parentis ſucci genio nimis addicti, imis amant in partibus ſtabulari, ibíque cœno voluptatum ſæpiùs commoto denſiſſimam offundunt menti vaporum caliginem, quâ obuoluta rerum ſpecies videre, aut viſas ſuo quámque ordini reddere non valet: è bile verò ſplendidi, & indigenâ tenuitate celeres ſpiritus generantur, qui animo, quidquid agat, quamcunque in partem ſe verſet, & in corde audendo, & in capite cogitando ſemper præſto ſint. Ab illâ licet partes gracileſcant, & decolores nonnunquam palleant (quippe receſſit ſanguis in intima, vt animo propiùs aſſideret) commodè tamen nutriuntur, quæ ab omni carnium pondere vacuæ, animo iubenti ſtatim obtemperent: internæ verò compactiore ſubſtantiâ præditæ, incluſum ſuum artificem non ſolùm tuentur meliùs, ſed etiam diutiùs retinent.



ALIDA ſicca temperatio, cùm virtutum ſatibus accipiendis opportuna, tùm animo altiora petenti imprimis ſecunda; quæ nimirùm ſuum in domicilium aduenienti inquilino ſplendore ſicco alluxit, & triumphaturæ menti ouans ipſa præiuit: proprium illius eſt ὀξὺ, καὶ τὸ συνετὸν: maximi ſemper extitere, quibus affulſit, belli domíque clari, & eorum ſemper in ſuſcipiendis, ac perficiendis rebus mira fuit celeritas: hæc illa eſt, quæ acutos facit homines, verſutos, inter pericula alacres, rebus bellicis aptiſſimos. At humidum calidumque corporis temperamentum, quemadmodum tenerum corpus efficit, & ferendis laboribus mollius, ita ad audendum ſegniores facit, & ſi quos mens habeat impetus, ad mitiores ſenſim virtutes deflectit. Igitur quos iam admiratione formæ ſanguinei deuinxerunt, morum vrbanitate, benignitate, & gratitudine ſibi ampliùs demerentur. Mens illis eſt, quæ non omni diſciplinarum genere imbui poſſit, grauiori enim contentioni impares operoſioribus artibus applicari nolunt.

AB vnoquoque temperamento ſummum quid, & perfectum naſcitur: à bilioſo τὸ ἀνδρεῖον καὶ θυμοειδὲς; à ſanguineo τὸ ἤπιον καὶ ἥμερον; à melancholico τὸ βέβαιον καὶ ἑδραῖον; à pituitoſo, τὸ ἁπλοῦν; Sed illas omnes quæ nobis inſunt, à temperamento ad virtutem propenſiones prauis moribus in vitia detorqueri non rarò euenit. Videbis ſæpiſſimè ignea illa feruidáque ingenia, leui de cauſa turpiſſimè incandeſcere; quinetiam fuere quos irarum æſtus de medio abripuerit, & tumultuantes de vitâ deiecerit.



ORTVNATI omnes, quibus, vel fortibus, vel formoſis eſſe licuit: vtrumque vnà mortalibus congruere, vetant naturæ leges, quæ perfectiſſima quæque longiſſimè ſemper diſiunxit. Gentes bellicoſiſſimæ deformes maximè fuerunt: qui inter homines fortes audire amant, eo delectantur vitæ genere, quo formæ vis omnis perit, & extinguitur, ſudant, vigilant, æſtate mediis in montibus, hyeme ſub diô degunt: quaſi enim animus ab ipſo labore per corporis damna nouas opes duceret, quò grauiùs, & frequentiùs hoc percellitur, eò acrior & firmior ille exurgit; contrà mollis, & otioſa vita, temperatior cœli aura, victus, regio, formam alunt, ſed omnes animi neruos elidunt. Adeò locorum interuallo, vitæ genere, animorum corporumque diſcrimine, fortes à formoſis diſtare voluit ille, qui temperamentorum momento formam, & animum diſpenſauit. Equidem à virtute ſanitas, ab hac prima ſit optanda pulchritudo, quæ pro fuco mortalibus à blandâ conciliatrice, & tanquam ſui lenâ ipſâ naturâ, tributa eſt; ſed quem omnes præ formæ venuſtate amant, ſuſpiciunt, venerantur, eundem omnibus animo, & fortitudine anteire, quod vnis heroibus contigit, vix humanæ patitur conditionis ratio.

*Ergo rara animi, & formæ concordia.*

307.

Proponebat Lutetiæ TVSSANVS FONTAINE Pariſienſis. A. R. S. H. M. DC. XXXVIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

*M. Franciſcus le Vignon.*
*M. Petrus Legier.*
*M. Ioannes Chartier. Med. Reg.*

*M. Ioannes Pierre.*
*M. Petrus Yon.*
*M. Claudius Germain.*

*M. Franciſcus Pijart.*
*M. Nicolaus Regnier.*
*M. Ioannes de Bourges.*